

13.11

Casus Morali.De TransplantationeArgumentum Axiomaticum

28th August, another reception was offered by Mr J. Babin, the Rector of the Academy of Strasburg at the Hotel du Rectorat. On Thursday, 30th August, we had an excursion across the Vosges, visiting Mount St Odila and, on the way back, the city and Library of Sélestat; afterwards we were cordially received by the Mayor of the city at his Hotel de Ville. An official banquet closed the proceedings of the day. On Friday, 31st August, another reception was given by Mr Altorffer, the Mayor of the city of Strasburg, at the Hotel de Ville.

These international congresses are very important not so much for the papers read as for the opportunity they give to make new acquaintances and to renew old friendships. I have so far attended many international congresses, I have met almost all the leading biblical scholars, I have a number of friends in all countries, and the influence I have received on my intellectual development is incalculable.

P.P. SAYDON

CONGRATULATIONS!

In October 1956 the Rt Rev. Mgr Prof. P.P. Saydon, B.Litt., B.L.Can., D.D., Lic.S.Script., completed twenty-five years as occupant of the Chair of Holy Scripture in the Royal University of Malta. On this occasion the Editorial Board of *Melita Theologica* wish to congratulate the distinguished Professor for his outstanding University career and to thank him publicly for the great service he has rendered to the students of the Faculty of Theology and to our Association in particular.

Prof. Saydon needs no introduction to our readers. He has been one of our chief and constant contributors and his scholarly writings have always elicited admiration and praise. His great Biblical erudition has been amply shown in his substantial contributions to the *Catholic Commentary on Holy Scripture*, as well as in his masterly translation of the Bible into Maltese from the original languages and in numerous articles published in leading Biblical reviews.

But surely none has had as much opportunity to appreciate Professor Saydon as we, his students, who have had the privilege to know him more intimately from his lectures and to be constantly illuminated by his profound and up-to-date knowledge of the Scriptures. We cannot therefore but wholeheartedly thank him and hope that successive generations of students will long continue to enjoy the fruits of a mature and consummate scholar.

CASUS MORALIS

DE TRANSPLANTATIONE ORGANORUM HUMANORUM

Remigius pater est quinque filiorum quorum unus tantum est masculus. Accedit quod non semel Remigius filiae suae primogenitae e proprio extractum sanguinem dedit ut ipsa vivere potuisset; infimam partem auriculae suae dexterae abscindere sinit ut auricula filiae suae secundogenitae perfecte curaretur; filio vero, anno quinto aetatis suae totaliter fere caeco facto, saltem unum ex oculis suis, vel sic dictum *pelliculum corneum* vel *corneam* ardentissime dare cupit. Ante tamen operationem hanc confessarium suum accedit consilii petendi causa. Qui confessarius non solum libenter beneplacitum suum ei dedit, sed sacrificium patris summis laudibus extollit uti opus summae caritatis nobilissimum quodque multi sancti exercuerunt imo et Christus ipse qui vitam suam pro nobis dedit.

QUAERITUR:

- I. Utrum extractio sanguinis, abscissio infimae partis auriculae et extirpatio saltem unius pelliculi corneae Remigii mutilationem constituent.
- II. Utrum igitur licitae vel illicitae evadant.
- III. Quid de modo ratiocinandi confessarii dicendum.

SOLUTIO

Ad I. Antequam responsum detur huic primo quaesito necessarium est ut prae oculis exactam mutilationis definitionem habeamus. Fatendum tamen est hanc exactam definitionem dare non est sat facile quia Auctores sive antiqui sive hodierni, paucissimis exceptis, definitionem mutilationis omittunt.

Genicôt-Salsmans sequentem definitionem habet: "Actio qua membrum quoddam auferitur"¹ et Jorio-Tummolo illam dat quam exhibit P. Vermeersch in 2a ed. Theologiae Moralis, anno 1928 facta, i.e. "Abscissio (alicujus membri) vel aequivalens actio qua functio organica vel definitus usus membrorum supprimitur aut directe diminuitur"².

Dicitur

Abscissio, quae idem est ac extirpatio, extractio, ablatio etc.
aequivalens actio, quae habetur in qualibet laesione corporis quae hujus functionem totaliter vel partialiter tollit. Sic v.g. extractio etiam

¹ Genicôt-Salsmans, *Institutiones Theologiae Moralis*, 1921, Bruxelles, I, n. 363

² Jorio-Tummolo, *Theologia Moralis*, Neapoli, 1934, I, n. 391 bis

unius ovariorum vel testicularum mutilationem constituit. Necessè non est ut laesio haec exteme percipi possit.

quae functio organica vel definitus usus membrorum... Ergo requiritur ut pars corporis quae abscinditur propriam habeat functionem aut operationem, ita oculi functionem habent videndi, pedes ambulandi etc. Sed nil refert utrum illa pars quae abscinditur habeat operationem in se, v.g. manus, pes, vel cum aliis operationibus conjunctam, uti nervus ocularis.

supprimitur aut directe diminuitur. Non requiritur ergo ut tota functio organica impossibilis reddatur ut vera mutilatio habeatur, uti accideret v.g. in abscissione duorum crurium vel duorum testicularum, sed sufficit si haec functio directe et permanenter diminuitur uti accideret in abscissione unius cruris vel unius digiti quia homo ad bene ambulandum amba crura, et ad aliquid manu bene tenendum quinque digitos indiget.

Aliam similem definitionem mutilationis dat Sac. Tullo Goffi: "... mutilazione è solo il prelievo che cagiona una lesione permanente sia della integrità biologico-organica che di quella funzionale... Si ha mutilazione ogni qualvolta la funzione non è assicurata mediante organi naturali, anche se viene conservata con organo artificiale (es. stampelle, denti artificiali)"³.

Ex dictis patet quod ad proprie dictam mutilationem duo essentialiter requiruntur: (a) abscissio partis corporis propriam functionem aut operationem habentis; (b) suppressio aut diminutio perpetua hujus functionis aut operationis. Haec duo simul sumptae nemo non videt deteriorationem corporis humani afferre⁴.

His praemissis ad quaesitum respondeo:

1°. Sanguinem ad corpus humanum pertinere nemo est qui negat. Sed pertinetne eodem modo ac ratione qua pes, manus, oculus pertinet? Aliis verbis estne eadem deterioratio in homine cui manus vel pes abscinditur et in alio cui aliqua quantitas sanguinis extrahitur? Verum est quod per extractionem sanguinis debilitas in corpore consequitur; sed hic non agitur de illa quantitate qua vita et sanitas hominis in periculo constituitur. Hic agitur tantum de restricta sanguinis quantitate, datur enim variatio quantitatis sanguinis in corpore, quae quamvis, hic et nunc, aliquam debilitatem affert, post breve tempus restituitur. Coeternum et labor etsi ordinarius debilitatem virium humanarum affert. Estne ergo labor hic dicendus mutilatio? Ita etiam et extractio restrictae quantitatis sanguinis veram mutilationem non constituit.

2°. Quoad vero abscissionem infimae partis auriculae et extirpationem

³ Sac. Tullo Goffi, *Valore morale di trapianti o innesti umani*, Rivista del Clero Italiano, 37, (1956), 491-95

⁴ *Perfice Munus!*, XXXII, (1957), 85

corneae Remigii res totaliter diversa evadit. Nonne per istos actus corpus Remigii deterius fit? Hoc clarum est si sermo esset de extirpatione corneae duorum oculorum Remigii, quia hoc in casu Remigius totaliter coecus evaderet. Imo etiam si ageretur de extirpatione corneae unius oculi quia etiam in hoc casu haberetur suppressio operationis specificae illius oculi, quamvis alius oculus remaneret. Et praecise hoc est quod constituit mutilationem. Coeterum homo creatus est cum duobus oculis et omnes admittunt quod ad recte videndum non sufficit unus oculus praesertim in percipiendo dimensiones, rebus distantibus etc. Ergo extractio sive amborum sive unius corneae veram mutilationem constituit⁵.

Et idem videtur dicendum quoad abscissionem infimae partis auriculae, quia et haec abscissio in detrimentum perpetuum corporis fit. Illa utique infima pars auriculae non est tam necessaria ac oculus. Sed hoc tantum significat quod extirpatio corneae est gravis mutilatio, dum abscissio infimae partis auriculae levis tantum. Aliis verbis, mutilatio admittit parvitatem materiae sicut furtum. Furari centum libellas anglicas et furari unum nummum non est idem; sed ratio furti semper remanet.

Dixi *videtur* quia non desunt Auctores qui propter istam parvam portionem auriculae rationem mutilationis negent, saltem si juxta aestimationem populi ad elegantiam corporis augendam fit. Nota tamen quod isti Auctores non loquuntur de foramine vel de pelle sed de abscissione partis auriculae⁶.

Ad II. Omnes fere Doctores S. Thoma duce, docent quamlibet mutilationem esse actum intrinsicè malum. Ratio est quia non solum mutilatio fieri non potest *absque totius corporis detrimento*⁷ eo quod quodlibet membrum est pars hominis, sed etiam quia quilibet homo creatus est propter suam perfectionem. Animalia irrationalia tantum non sunt creata propter se. Ergo pes vel lingua bovis, etsi scindi non possint sine detrimento totius corporis bovis, possint praescindi si hoc fieret ad nostram utilitatem. Unica tantum exceptio, et quidem in modo absoluto, datur i.e. *l'innesto di glandole sessuali di animali sull'uomo*⁸ quia hic agitur de medio originis speciei diversae.

⁵ Sed res non ita certa esset si ageretur de testiculis vel de renibus quia haec sunt proprie dicta organa duplicia, h.e. ablato uno testiculo vel rene eadem remanet perfectio peragendi eandem functionem. Sed dato non concessio quod *eadem perfectio* remaneat, sequitur ex hoc quod in casu non haberetur mutilatio? Nonne corpus integrum ex dispositione Creatoris non tantum duos pedes, duo brachia etc. sed et duos renes et duo testicula habeat? Estne haec duplicitas sine sua utilitate? Estne ablatio unius renis vel testiculi absque attendibili nocumento vel incommodo?

⁶ *Perfice Munus!*, XXXII, (1957) 80

⁷ II-II, q. 65, a. 1.

⁸ Cfr. *Discorso di S. S. Pio XII sul trapianto della cornea nell'occhio umano*,

Quilibet homo, dixi, et quidem ex divina ordinatione, tendit ad suam perfectionem, aliis verbis, homo non habet dominium plenum in corpore suo ejusque partibus. Igitur quilibet actus qui natura sua ducit ad hominis deteriorationem est actus intrinsece malus et ita illicitus ut nulla ratione quomodocumque gravi justificari possit. Huic tamen principio generali Doctores, ipso S. Thoma praeunte⁹, has duas exceptiones ponunt i. e. (a) ad salvandum totum corpus et (b) ad delictum puniendum. Attamen ut revera licitae sint hae duae exceptiones Doctores requirunt ut fiant servatis servandis seu ut servetur proportio inter effectum nocivum et effectum bonum ad quem dirigitur et inter gravitatem poenae et delicti commissi. Igitur non liceret hominem sterilizare ne filios infirmos vel noxios nascantur¹⁰.

Hoc praemisso redeamus ad nostram quaestionem, nempe:

1^o. Utrum extractio sanguinis e corpore Remigii et in corpus filiae suae transfusi licita sit necne. Uti ad I diximus, extractio modicae quantitatis sanguinis e corpore humano non constituit mutilationem et circa hanc rem omnes moralistae conveniunt. Ergo licita.

2^o. Utrum abscissio infimae partis auriculae licita sit necne. Etiam hic, ex dictis ad I patet hominem per hunc actum deteriorem fieri, non quidem graviter sed leviter tantum et quidem pro remanente vita sua, quia pars abscissa non crescit amplius. Ergo, juxta saltem opinionem communiorem, haec abscissio fieri nequit etsi sub levi tantum; est enim intrinsece illicita sicut mendacium. Sicut nunquam licet mentiri, ne quidem ad vitanda damna proximi, ita etiam nunquam licet infimam partem auriculae abscindere. Repeto, hic non agitur de simplici perforatione, sed de vera abscissione auriculae.

3^o. Utrum extirpatio saltem unius comeae licita sit necne. Si abscissio partis auriculae est illicita, a fortiori extractio comeae sive amborum oculorum sive unius oculi tantum erit illicita et quidem graviter. Ratio patet ex dictis.

Sed actus de quibus supra non sunt sumendi et intelligendi *in se et per se* tantum sed *relate ad alios*. Aliis verbis hic non agitur de simplici mutilatione sine ulla necessitate, sed de *transplantatione* organorum humanorum, h. e. de ablatione vel scissione organi vel partis organi hominis sani ut corpori infirmo vel deficienti alterius hominis inseratur vel

4 maggio 1956, in AAS XXXXVIII, (1956), 459-67 (gallice) et in *Perfice Munus!*, XXXI, (1956), 385-91 (italice)

⁹ II-II, q. 65, a. 1

¹⁰ Encyc. *Casti Connubii*, in n. 13 AAS, 31 Dec. 1930, publicata, sterilizationem pro reis puniendis evidenter damnat. Sed in n. 14 ejusdem ephemeridis quaedam correctio et quidem authentica facta est vi cujus adhuc videtur disputari licet an sterilizatio in reorum poenam licita sit necne. Cfr. P. Tabone, *Human Sterilization*, Malta, 1950, p. 11.

implantetur. Nonne hoc in casu actus de quibus supra, liciti evaderent? Pater Vermeersch videtur hanc theoriam voluisse saltem subijcere attentioni moralistarum propter quamdam ordinationem seu relationem membrorum nostrorum erga proximi corpus¹¹. L. Scremin licitatem admittit ubi agitur de extirpatione organi duplicis, quia functio remanet; D.A. Gennaro licitatem admittit "quoad comeae cessionem si acies oculorum minuitur sed penitus non amittitur", ob motivum caritatis et quidem sive gratuito sive pacta mercede, quae opinio placuit etiam cuidem Buongiovanni S.D.P.¹². Tandem G. Kelly S.J. favet licitati quia, ut ipse putat, transplantatio incompatibilis non est cum doctrina SS. Pontificum¹³, quod idem tenet G.B. Guzzetti Pont. Fac. Theologicae Mediolanensis Professor¹⁴.

Ne igitur et mihi imputetur *un'imperdonabile presunzione* de qua Bosio S.J.¹⁵, non velim uti nullius valoris rationes tantorum Doctorum rejicere. Sed ex alia parte si admittenda esset "quaedam ordinatio" ad alios, ordinatio haec non videretur existere in membris nostris ad corpus alienum. Homo enim non est bellua. Membra et corpus animalium ordinata sunt ad homines, et praecise quia animalia creata sunt propter hominem. Homo vero creatus est propter se et ne quidem propter societatem cujus homo est pars moralis non physica. Membra humana sunt partes physicae integri vel 'totius' hominis.

Relatio hominis ad alios homines est aequalitatis tantum non vero subordinationis. Si homo fuisset subordinatus alio homini et occisio sui ipsius et innocentis evaderet licita. Doctrina insuper catholica Deum semper docuit dominum vitae et totius corporis humani et hominem usum tantum habere. Dare membrum sanum aliis etsi indigentibus et etsi aliud membrum remaneat, est actus dominii. Ergo homo non potest neque partialiter mutilare seipsum ad bonum aliorum quin laedat jus divinum. Finis utique esset nobilissimus, sed medium seu methodus mala et omnes concedunt quod *non sunt facienda mala ut eveniant bona et quod finis non justificat media*. Homo potest dare aliis modicam copiam sanguinis vel particulam pellis non quia hae ordinantur ad corpus alienum sed quia, ut diximus, mutilationem non constituunt.

Neque dicendum est quod si licet totam vitam sacrificare pro aliis

¹¹ *Theologia Moralis*, 1928, II, n. 323

¹² *Perfice Munus!*, XXIX, (1954), 700. Cfr. etiam *La Rivista del Clero Italiano*, 37, (1956), 493. Huic Buongiovanni respondit Sac. G. Borg et L. Bender, O.P. in *Perfice Munus!*, XXX, (1955), pp. 164 et 209 respective

¹³ *Pius XII and the principle of totality*, *Theology Digest*, IV, (1956), 158-63

¹⁴ *Il trapianto di organi nella Morale e nel Diritto*, *La Scuola Cattolica*, XXXIV, (1956), 241-62. Nota quod hic Auctor et aliqui ex praecitatis post allocutionem Pontificis scripserunt

¹⁵ Cfr. *La Civiltà Cattolica*, An 107 (1956), 39

ergo a fortiori licitum est aliquod organum aut pars organi indigentibus dare, quia in primo casu agitur de voluntario indirecto dum in secundo de voluntario directo. Numquam licitum est *directe* se privare vita, sed potest quis ob rationes proportionate graves vitam exponere periculo quo vita perimatur. Hoc in casu ageretur de *usu* et non de *donatione* alicujus boni. Jure ergo meritoque Pius XI in Encyc. *Casti Connubii* dixit: 'quod ipsi privati homines in sui corporis membra, dominatum alium non habent quam qui ad eorum naturales fines pertineant, nec possint ea destruere aut mutilare aut alia via ad naturales functionas se ipsos ineptos reddere nisi quando bono totius corporis provideri nequeat...'¹⁶. Similia dixit Pius XII in diversis allocutionibus, praesertim in illa habita die 13 Sept. 1952 ad participantes ad 'I^o congresso internazionale di Istopatologia del sistema nervoso' ubi aiebat: 'Per quanto riguarda il paziente, egli non è padrone assoluto del suo corpo... non può dunque disporre liberamente di se medesimo a suo piacimento... Possiede diritto d'uso...; è usufruttuario non proprietario, non ha un potere illimitato di porre atti di distruzione o di mutilazione o di caretere anatomico o funzionale'¹⁷. Quod similiter repetit in allocutione habita die 19 Oct. 1953 ad participantes sessioni XVI 'Ufficio internazionale di documentazione di Medicina militare'. En verba Pontificis: 'Quanto al paziente, il medico non ha diritto ad intervenire più di quanto il paziente gli conceda. Il paziente, dal conto suo, lo stesso individuo non ha diritto di disporre della sua esistenza, dell'integrità del suo organismo, degli organi particolari e della loro capacità di funzionamento, se non nella misura che esige il bene di tutto l'organismo'¹⁸. Quomodo doctrina haec conciliabilis sit cum liceitate transplantationis, fateor me non videre.

Ad III. Confessarius de quo in casu ratiocinatus est sicut et coeteri homines qui effectus utiles vident quin ad altiora et nobiliora mentem elevent. Quaestio enim nostra non est solvenda juxta motus cordis sed juxta dictamina intellectus. Hic non agitur de tollendo organo aut parte organi ab homine mortuo sicut in casu Sacerdotis Caroli Gnocchi qui, moriens, disposuit ut oculi ejus, post mortem, darentur cuidam parvulo caeco. In hoc casu nulla ratio dubitandi habetur circa liceitatem transplantationis, etiamsi spes felicitis exitus minima esset. Ratio est quia *mortuus* non est amplius *homo* sed *cadaver* quod, qua tale, stricte loquendo, non est subjectum juris¹⁹. Neque hic agitur de transplantatione

¹⁶ Cfr. AAS, XXII, (1930), 583

¹⁷ *Atti e Discorsi di Pio XII*, Ed. Paoline, XIV (1952), 349-63

¹⁸ *Atti e Discorsi di Pio XII*, Ed. cit., XV (1953), 462-76

¹⁹ Cfr. *Discorso di S.S. Pio XII sul trapianto della cornea etc.* l. c. Ast. R.P.

in eodem individuo cum simplici mutatione sedis quae, vulgo, *autoinesto* vocatur. In hoc quoque casu operatio haec evaderet licita quia homo potest disponere de membris suis ad bonum totius corporis. Sed agitur de tollendis membris ab homine vivo ad alios, qui homo, divina ordinatione, non est res utilis neque proprietatem habet membrorum suorum sed tantum usum. Ultimae donationes Remigii videntur tantum esse actus caritatis, sed de facto laesivae justitiae, et omnes admittunt quod officia caritatis pugnare non possunt cum officiis justitiae. Ut diximus, numquam licitum erit furari ad sublevandam inopiam pauperi.

Mutilationes suisipsius quae a sanctis virginibus factae leguntur, aut ex inspiratione divina aut ex bona fide imo etiam ex ignorantia explicari debent²⁰ et factum quod Christus vitam suam pro nobis dedit non sibi vult quod ipse Christus se privavit vita, sed Ipse missionem suam exercuit quae missio mortem sibi meruit. Hoc sensu Christus dilexit hominem usque ad mortem, cuius exemplum ejus discipuli imitati sunt et hodie imitantur multi missionarii et alii animarum pastores. Hoc sensu intelligendum est etiam illud Joannis 15, 13: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

A. TABONE

statim adjunxit: 'Ciò non significa affatto che nei riguardi del cadavere di un uomo non vi potrebbero essere, non visono in vero obblighi morali, prescrizioni o proibizioni... Il cadavere umano... merita tutt'altro riguardo... In generale non dovrebbe essere permesso ai medici di intraprendere asportazioni o altri interventi su un cadavere senza un accordo con coloro che ne sono depositarii.

²⁰ Noldin H., *Theologia Moralis*, Oeniponte, 1941, ed. 27, II, n. 328